



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

De præparatione vitæ contemplatiuæ spiritualis per intellectus affectus
que copulationem reformationemque. Cap. XXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

mortificatione sui, nec in profectu virtutum & amore Dei. Quapropter homo solum imaginibus illarum rerum depingere se debet, quæ ipsum excitant ad agendas gratias Deo, ad eum laudandum, diligendum, & imitandum secundum suam humanitatem, rescindendo omnem curiosam & inutilem inquisitionem, de qua non melioratur: & exercitare se magis in affectibus, quam in meditationibus, prout infra docebo. Hæc ergo paucis tetigisse sufficiat de impedimentis vitæ contemplatiuæ, pensatis etiam illis, quæ superius tractauimus de mortificationibus & vita actiua. Nunc verò prosequi volumus ea, quæ nos oportet præparare pro ipsa obtinenda.

Imagines
hominum
necessariæ.

De præparatione vitæ contemplatiuæ spiritualis per intellectus affectusque copulationem reformationemque.

Cap. XXIX.

Hic igitur est sciendum, quòd ad vitam contemplatiuam duobus nobis sunt necessaria, vt perfecte ambulemus viam vitæ huius: hoc est, duos habere oportet pedes spirituales, qui sunt intellectus & amorosus affectus, quos pariter coambulare necesse est, vt illa secreta contemplationis itinera attingere valeant. Alioqui intellectus sine amoroso affectu claudus est, nec potest progredi, affectus etiam sine intellectu cæcus est, & viam ignorat, sed errat in ea. Itaque necesse est, vt intellectus affectui viam demonstrat, & affectus intellectum (impetu suo) per viam deportet. Ad præparandum igitur pedem amorosi affectus, sciendum quòd, sicut dicit Hugo de S. Victore in libro qui incipit: Accipe frater charissime, affectus est quedam spontanea ac dulcis ipsius animi ad aliquid inclinatio. Et quia secundum variam affectionem & inclinationem amor noster variatur, ideo subtilius est inquirendum, quem amorem respuere, quam amplecti debeamus. Primus affectus est naturalis, vt est affectus, quem quis habet ad corpus suum, ad cognatos & amicos. Quem affectum sicut non admittere est impossibile, ita non sequi, nisi in quantum, secundum Deum est, summa virtutis est: Quia iste affectus suggerit nobis sequi mollia, suauia, comoda, iucunda, voluptuosa: & sic inclinatur ad sensualia desideria. Quod autem naturæ contrarium est in tempore aut æternitate, refugere oportet, sicut infernum, iudicium, purgatorium, & amplecti omne quod naturæ conueniens est in tempore aut æternitate: Et in omni, quod impedit Deo, seruitijs, operibus bonis, & exercitijs, quantumcunque

Pedes animæ
duo
qui.

Affectus
quid.

Affectus
naturalis
quis.

Zzz 4. nobilia,

Affectus
sensualis.
Affectus
officialis.

nobilis, sancta & perfecta esse videantur non quaerit principaliter Deum, sed seipsum, sicut supra tetigi. Idcirco in exercitijs, quae ex naturali affectu nudè proueniunt, non consistit aliquod meritum. Ex isto imprimis oritur affectus sensualis, qui nociuus est, quando ei non resistitur. Secundò ex isto oritur affectus, dictus officialis, qui homini imprimitur ab his, qui sibi amicitiam ostendunt, dando munera, praestando obsequium & auxilium. Et iste amor admittendus est, ne homo ingratus inueniatur: periculosus tamen est his, qui timorem Dei perfecte non habent. Cauendum est autem, ne propter hominem peccatis faueatur, aut vitia vel vitiosa foueantur. Ab isto affectu multum differt affectio charitativa: quia iste in omnibus quaerit quae sua sunt: charitativa autem affectio in nullo quaerit quae sua sunt, sed solummodo

Affectus ra-
tionalis.

honorem & beneplacitum Dei. Quartò est quidam affectus rationalis, ad quem nos ratio trahit ex consideratione virtutum, operum virtuosorum, honestatis, & similibus, quae in alijs vidimus, audiuimus, aut aliàs percepimus. Hoc affectu suauiter inclinamur ad sanctos Martyres, qui strenuè decertarunt, & multa tolerauerunt, & ad alios Sanctos propter bonam vitam ipsorum auditam vel lectam: & generaliter ad omnes honestos ac virtuosos. Iste affectus omnibus praefatis nobilior est, (quia gradus quidam virtutis est, habere amorem ad virtutes) tamen multum differt ab affectione, quae oritur ex charitate: quia hic affectus (ratione mediante) oritur & excitatur ab exterioribus bonis exemplis: affectio verò charitativa à Spiritu sancto originem habet, inflammaturque ad amandum etiam peccatores, & ex bonorum

Affectus
spiritualis
quis.

exemplis multo dulcius afficitur. Quintus affectus dicitur spiritualis, quia ab inspiratione Spiritus sancti infunditur. Iste hominem voluntarium efficit ad relinquendum seipsum in omnibus propter Deum, ad praeponendum in omnibus honorem Dei, ita vt in hoc etiam seipsum non quaerat. Huiusmodi tamè spiritualis affectus nonnunquam nobis imprimitur à spiritu nostro, quod quibusdam euenit ex innata natura, quae inclinata est ad amorem: vel etiam ex studiosa exercitationis frequentia, quae iam in consuetudine versa est, ita quòd siue ex natura, siue ex consuetudine exercitationum facile possunt habere amorosas effluentes affectiones ad Deum diligendum, laudandum, ad illi gratias agendum, & adharendum, sic quòd iste eorum affectus multum similis est affectioni, quae à Spiritu sancto venit. Sed iste affectus solum probari potest in derelictione, mortificatione, & aduersitate, in quibus

verus

verus spiritualis affectus seipsum voluntariè resignat, & exhibet tam paratum ad quamcunque aduersitatem, sicut ad prosperitatem, vt Deus per hoc honoretur. Ille igitur est vnus pes quo anima progredi debet in vita contemplatiua.

Vie due humana videlicet & mystica, per quas affectus graditur.

Cap. XXX.

Sed quia rationalis creatura constat ex duplici natura, scilicet corporali & spirituali, quarum vtraque sibi correspondentia habet obiecta, quibus secundum cuiuslibet capacitatem æternam veritatem (quæ Deus est) percipere vel participare potest, ideo duplex assignatur contemplandi modus, quibus tanquam via duplici ad ardorem perfectæ charitatis peruenire valeamus: & propter hoc etiam oportet spiritualem hunc pedem duobus modis præparare ad currendam hanc viam. Primò constat homo ex corporali substantia & natura, & huic obiecit Deus omnia, quæ cognosci possunt exterioribus sensibus, vt rudes & sensuales homines (quorum sensus & intellectus obreuebratus est, & affectus ad se reflexus, ita vt non possint diuinam bonitatem, & veritatem, prout in seipsis sunt, sentire) in sensibilibus creaturis contemplari valeant immensam maiestatem, sapientiam, artificiositatem, pulchritudinem, suauitatem, & amorem inuisibilis Creatoris. Hic est vnus modus, & via perueniendi ad vitam contemplatiuam, scilicet cum homo attendit opera creationis, & considerat magnitudinem, pulchritudinem, subtilitatem, ordinationem, nobilitatem, & suauitatem creaturarum, & inuenit in omnibus immensitatem, quæ Deo ascribitur. Consequenter attendit propriam vilitatem, ingratitude, & malitiam, quam erga Deum ostendit. Et qualiter Deus immensus dignatus sit humanam naturam suscipere, & nos ex amore per amaram, & confusiuam mortem, & pretiosum sanguinem liberare, & similia. Et huiusmodi exercitia primò locanda sunt in fundamento contemplationis: & cum aliquato tempore istud vigorosè exercitatum fuerit, imprimetur ex hoc cordi admiratio quædam diuinæ immensitatis ex consideratione creaturarum: nec non & deuotio quædam plena confidentiæ ex consideratione diuinæ dignationis ad nos viles & vitiosos, quam exhibuit humanitatem assumendo: & demum etiam magna lætitia amoris plena, considerato quòd amor eius ad nos, ipsum coegerit talem mortem sustinere. Hæc autem tria prædicta (excitando affectum) trahunt exteriorem hominem introrsum, & interiorem hominem sursum,

Via humana per ce-
stus in
Deum tea-
deas.

Aaaa

sum,